



**E**Rlafrid ex illustri familia comitum à Calve  
 natus est. Erat hic magna corporis & animi  
 fortitudine insignis, ita ut ubique per Germaniam  
 notissimus esset. Is cum multa præclara facinora  
 Jomi & militiæ ædidisset, tandē qua pollebat pru-  
 dentia, statuit insignem aliquam scholam & do-  
 ctorum uirorum collegium instituere, in quo ado-  
 lescentes optimis literis tanquam Reipublicæ se-  
 minaria educarētur, atq; aduiores suis precibus  
 Deum inuocarent. Itaq; doctorum uirorum con-  
 silio nobile illud monasterium Hirsauu Spiren-  
 sis Diocesis suis sumptibus ædificauit, atque hone-  
 stis redditibus exornauit, Anno octingentesimo  
 tricesimo octauo, id postea ab Hertino undecimo Episcopo Spirensi in mul-  
 torum Episcoporum & procerum Germaniæ præsentia, inauguratum fuit.  
 In eo loco doctis imi quiq; conuenientes adolescentiã omnis generis artibus  
 & uirtutibus imbuerunt, ita ut plurimi Episcopi & rerum publicarum guber-  
 natores ex hoc loco, ueluti ex equo Troiano prodierint. Vnde Erlafridus  
 ob egregiam nauatam operam meritò omni po-  
 steritati commendandus. Anon. in  
 Episc. Spirens.